mas apud Galliarum, & Hyſpaniarum Reges Legationes, Equeſtrem dignitatem, & Procuratoriam Purpuram ampliſſimus, verùm & ob eximias Regii animi dotes, ſummam ingenii perſpicaciam, judicii ſoliditatem, ac igneam, & celerrimam intelligendi vim, immortali nomine dignus, qui ſingulari, & propensà benevolentià bonas literas, earumque cultores complectens, me plurimùm impulit, ad hæc in lucem edenda Commentaria. Hìc autem præterire nequeo, quàm multùm ad hoſce meos labores abſolvendos & conſilio, & eruditis epiſtolis contulerit verum humanæ eruditionis Prodigium clariſſimus, & magnæ mentis Vir Antonius Magliabechi, Sereniſſimi Hetruriæ Ducis in toto Orbe Terrarum celeberrimus Bibliothecarius.

Supereſt, ut quid nobis in hoc Opere propoſuimus, paucis aperiamus. Pręcipuus noſter ſcopus eſt, Animæ noſtræ Naturam pro viribus detegere, acque potiſſimùm in id mentis aciem intendimus, ut & incorporeum, & immortalem humanum Animum eſſe adverſus Epicuri Aſſeclas, præfulgente ratione, demonſtremus. Ad quod faciliùs, ac tutiùs aſſequendum Auguſtinum Animæ indolem, & affectiones explorantem libentiſſimè ſequimur, atq; quantum Vires ſuppetunt, illuſtrare, & roborare enitimur.

Quapropter dum Orthodoxæ Religionis inſigniora rudimenta ratione firmata, & intelligentiæ aperta reperies, quantum pariter Auguſtinus in veritate evelanda, ac propugnanda valeat, haud citrà Animi admirationem intelliges. Etenim miro quodam ingenii acumine rerum viſcera pandit, abditioreſque receſſus aperit, ſenſibus, ac externarum rerum conſideratione minimè impeditus, aut diſtractus, etiam dum ſentit, intelligit, in ſenſu inſenſilem cernit Rationem, in ipſa carne inſectilem ſpiritum reperit, ex corpore inextenſum, inviſibile ex viſibili colligit, in rerum multitudine ſummam, & immutabilem Unitatem, in quam ſe totum immergit, inceſſanter intuetur, ut non carneum, ſed omni ex parte intelligentem, ac ſpiritalem hominem meritò diceres. Subtiliſſimè diſputat, non ut contendat, ac vincat, ſed ut evertatur error, triumphetque veritas: Acerrimo ardet, & fulgurat ingenio, docilis unà, & in refellendo ſua vis: In rebus minutiſſimis maxima, & propè infinita detegit, atque quæ ſummoperè intellectum effugiunt, ac latent, incomparabili ratiocinandi ſagacitate venatur, & ſub humanæ Rationis imperium ea ſubdi, validiſſimè cogit.

Sublimiorem, interioremque tanti Viri doctrinam, quæ mentem reſpicit humanam, ſedulò interpretantes, hoc Opus in tres diſtribuimus Partes, in quarum prima ea, quæ in Tractatu de Animæ Quantitate Auguſtinus ſubtiliter exagitat, exponuntur, ubi & incorporeus, & ſummè potens humanus Animus robuſta, & ingenioſa